



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Longo tempore quid effectum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Quia vero cornua animalium nulli majora, neque speciosiora quam Elephanto, hac ipsa etiam de causa Regem ostendit, cornua enim, ut in Cervi commentario declaratum est, dignitatis & sublimium honorum significatum habent. Hominem igitur Aegyptii ampliori aliqua dignitate tituloque honestatum, qui tamen nulla vel majestatis, vel decori ratione habita, vilissima quæque sectaretur, fordesque omnes perscrutaretur, significare si vellent, hieroglyphicum Elephanti qui mures venaretur, proponebant: indignus quidem tam vasta mole labor. Eademque nota inurendum facinus, quo

^a Suetonius in Domitiano. c. 3.
^b Suetonius in Vespasiano. c. 16.

Domitianum jam Imperatorem stylo muscas perdidicentem derisum accepimus: vel patrem ejus Vespasianum de lotio vestigal exigentem, quamquam ejus lucelli odor ei bonus videretur. Verum super hac re notum adagium, *Mures negligit Elephantus*. Ac ne quis cavilletur, Elephanti dentes insignes esse, non cornua, Pausanias omnino esse cornua contendit, tum aliquorum animalium exemplo: quibus aut in supercilio, aut in naribus cornua nascantur: tum quod per aliquot annorum periodos corrupta decidant, & nova subpullulent, igneque molliantur, quod in dentibus haudquaquam fit, & quod in cranio oriuntur.



METICULOSUS. CAP. XI.

Est & illud Regum fere omnium proprium, ut ipsi ad suam (quod ajunt) umbram expavescant: ita potentiae comes additus est uniuscujusque rei metus. Elephantum autem consternationis hieroglyphicum esse manifestum, si praesertim in stagna limpidae aquae, unde sese tanquam in speculo contemplari queant, deducti pingatur, quam speciem supra modum reformidant aut certe abhorrent, & adversantur, eaque de causa turbidam omnino bibunt. Atqui hinc Indorum populi, apud quos magnus earum beluarum proventus est, si quos fluvios cum his tranare parent, illud nubesque noctes observare consueverunt.

LONGO TEMPORE QUID EFFECTUM. CAP. XII

Sunt qui pullum Elephanti pingant, quippe cui nondum dentes enasci coeperint, si longo quid temporis intervallo factum significare voluerint: hunc enim utero gestari Theophrastus decennium scribit, quamquam Aristoteles, Aelianus, & alii annos longe pauciores ponant. Utcumque sit, vulgatum inde dicitur, *Citius Elephantos parere*, quotiens tarditatem negotii alicujus incesse voluerimus. De iis vero, quae minime fieri posse speremus, Ennius dixit, *Prius locusta peperit Lucam Bovem*. Ita enim prius Romani vocaverunt Elephantos, quod a nostris in Lucania primum visum.

^c Citatur à Plinio in praesentibus historiae.

VICTUS PROVISIO. CAP. XIII.

Est & illud apud horum celebre hieroglyphicum super Elephanto, ut hominem frugi, & de vicus ratione maxime sollicitum indicare vellent, Elephantum pingerent dentes suos terra condentem, eum siquidem ajunt, simulac caducos dentes suos intellexerit, sponte evellere, & terra infodere. Verum ego crediderim potius *Vitæ suae prospicientem*, quam *Vitæ sui* legendum, Philippumque ipsum deceptum aliqua forsitan Aegyptii vocabuli æquivocatione. Manifestum enim est ex receptorum authorum probatione, Elephantes dentes suos nonnunquam venatu allisos arboribus excutere, scientes se eorum causa peti, ut ita præda derelicta vitæ ipsi suæ prospiciant. Et ne indicio sint venatoribus, quotiens præ senectâ deciderint, eos etiam tum humo concedunt. Unicuique tamen sit integrum quam maluerit sententiam sequi.

CON.